

mo adeò merè passivē se habet, ut impedire eam nullo modo possit. Secunda *Conversio* est, quando post infusionem illum habitum gratiæ, & internum principium hennè agendi, incipit edere bonas actiones, vitare peccata, credere, obsequi, hi enim omnes actus habitu infuso posteriores sunt. Quām vera sit utraq; definitio, ad specialem tractationem de operatione gratiæ efficacis pertinet. S. Scriptura neq; infusionem habitus fidei, nec habitum actu fidei ordine & naturâ priorem agnoscit, sed successivè & pedetentim hominem ad credendum ducit, ut ex frequentatis, per inditam, mediante verbi prædicatione, potentiam & inclinationem, aliquot actibus, tandem habitus conficiatur, si conficitur: Neq; vero tam absurdâ est, ut ex semine verbi dicat primò nasci perfectum triticum, dein spicas, postea herbam: sed contrariait: semen verbi primò germinare herbam, deinde spicam, postea frumentum. *Marc. 4. 28. &c.* Conferantur per totum caput, Parabolæ de semine verbi & ejus germinatione, quæ ad oculum ostendunt; nihil esse infusione illâ habitus fidei, ante ullum actum editum, absurdius. Partitionem ipsam quod attinet nulla est: quia conversione non datur nisi à malo ad bonum, à tenebris ad lucem: Secunda autem ista conversione, quam dicunt, est ab habitu fidei & charitatis ad ejus perfectionem; Nec hoc quidem, sed est tantum exercitium ex habitu fluens, & continuatio quædam piorum actuum. Imò sequitur exinde: eos nullam conversionem agnoscere, propriè sic dictam; Επιστρέψει enim & Ἐπιστρέψει, significant motum quemdam in homine, ab uno termino ad aliud, & voluntarium quidem ac liberum, non ratione voluntatis humanæ, tamquam prioris principij ad salutares motus ciendos, sed ratione voluntatis humanæ, tamquam principij proximi actionem edentis, dependentis tamen à superiori principio, quod est gratia Christi: Calviniani autem Conversionem faciunt, mutationem quamdam in homine per infusionem contrariæ qualitatis à Deo, quām homo non potest non recipere, quæ ipsorum Prima *Conversio* dicitur. Secunda quidem motus est, sed non *Conversio*, quia non fit ab uno extremo ad aliud, nec ab uno termino ad aliud, sed est consistentia in termino alterutro, quæ naturæ conversionis repugnat.